K W. P. md
a 1V.
1172.46
4

# NOTÆ Breves

IN

# DISSERTATIONEM

NUPER EDITAM

## De MEDICORUM apud veteres Romanos degentium conditione, &c.

Auctore P. W. M. D.

*Neque novus hic mos Senatus Populique Romani est, putandi quod optimum sit, esse nobilissimum.*

Vell. Paterc. Hist.

LONDINI, a.1258.

Prostant apud J. NOON & R. FORD in vico vulgò dicto *Pondry*, & H. WHITHORSE ad *Scutum Regium*. 1716.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

# Notæ Breves
## IN
# DISSERTATIONEM
### NUPER EDITAM
## *De* MEDICORUM *apud veteres Romanos degentium conditione*, &c.

ANTE paucos hos dies nobis in manus incidit dissertatio, cujus inscriptio est, *De Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione*, Auctore C. MIDDLETON, Theologiæ Professore, eodemque, ut accepimus, viro

literatiſſimo. In quâ cùm ego vera cum falſis mire permiſta & confuſa cernerem, viſum eſt breves in eam notas conſcribere, ne quis antiquitatis parùm intelligens in eâ legenda decipiatur. Initium ejus itaque, Lectores, primùm advertite, quam bene cum ipſius inſcriptione congruat, " (*a*) Apud veteres Romanos me-
" dendi artem non ſolum minus excul-
" tam, ſed ne cognitam quidem eſſe ſuſ-
" picari fas eſt." Utique virum doctiſſimum de illorum conditione ſcribere videtis, quos ne fuiſſe quidem ſuſpicatur: quod quanquam eſt ex ejus erratis leviſſimum, tamen inde poteſtis intelligere, quanta ſit ejus in ſcribendo diligentia & accuratio. Omnino gravius erratum extemplo licebit agnoſcere, quo tanquam fundamento nititur univerſum opus. " (*b*) Apud veteres Romanos medicinam
" *Clinicam* & *Chirurgicam* ab eodem
" homine ſemper exerceri;" & (*c*) *Chi-*
" *rurgos* à reliquis medicis nec nomine,

(*a*) Pag. 1. (*b*) Pag. 23. (*c*) Ibid.

" nec

"nec conditione antiquitus unquam dis-
"tingui aut ſegregari;" & (d) "Im-
"peratorum temporibus artem medendi
"in partes varias ſecari quaſi & dividi
"primùm cœpiſſe:" Scilicet hæc ideo affirmat ille, ut quicquid de iſtorum ignobilitate, qui humillimas Romæ exercuerint medicinæ partes, apud veteres invenerit, id omne in univerſos artis medicæ profeſſores transferat. Quod quidem virum prudentiſſimum optimè reputâſſe fateor: Etenim ſi diverſos apud Romanos fuiſſe medicorum gradus primò conceſſiſſet, tum utique ea omnia quæ de quorundam medicorum humilitate ex vetuſtis autoribus afferret, non in ſuperiorem, ſed in inferiorem ordinem cadere rectiſſimè ſenſit. Ad ſententiam ſuam tuendam addit inſuper Mercurialis & Menagii virorum eruditiſſimorum autoritatem. (e) "*Omnes priſcos Medicos fuiſſe etiam* "*Chirurgos*," ait Mercurialis. (f) "*Po-*
"*ſtremis temporibus*, ait Menagius, par-

(d) Pag. 24. (e) Pag. 23. (f) Pag. 251.

"tem

" tem illam medicinæ quæ manu mede-
" tur, ab aliis homines ſejunxerunt:
" quando factum hoc diſſidium, dixerit
" alius, non ego, certe *poſt Antonini*
" *tempora.*" At videte quàm parùm at-
tenderint viri doctiſſimi: Etenim hæc
omnia unico Cornelii Celſo luculento teſ-
timonio refelletis. (g) " Tertiam eſſe
" medicinæ partem, quæ manu curet, &
" vulgò notum & à me propoſitum eſt:
" —Hæc autem pars, cùm ſit vetuſtiſſi-
" ma, magis tamen ab illo parente omnis
" medicinæ Hippocrate, quàm à priori-
" bus exculta eſt. Deinde, *poſteaquam*
" *diducta ab aliis habere profeſſores ſuos*
" *cœpit, in Ægypto quoque* increvit, Phi-
" loxeno maxime autore, qui pluribus
" voluminibus *hanc partem* diligentiſſime
" comprehendit. Gorgias quoque & So-
" ſtratus, & Herones, & Apollonii duo,
" & Ammonius Alexandrinus, multique
" alii celebres viri, ſinguli quædam re-
" perêrunt. *Ac Romæ quoque* non me-

(g) In præfat. lib. 7.

" diocres

" diocres professores, maximéque nuper " Tryphon pater, & Euelpistus Phlege- " tis filius, &, ut ex scriptis ejus intel- " ligi potest, *horum* eruditissimus Meges, " quibusdam in melius mutatis, aliquan- " tum *ei disciplinæ* adjecerunt. Esse " autem *Chirurgus* debet adolescens, *&c.*" Et paulo infra, " Curationes quas alibi " executus sum, *Chirurgi* sibi vendicant." (*h*) Hæc verba apertè indicant illarum professionum partitionem longo antè tempore factam, primò in Ægypto, tum Romæ quoque obtinuisse. Quinetiam advertite, ut ipse vir doctissimus opinioni ad-

(*h*) Eò magis miror viros eruditos hæc non advertisse, quòd *chirurgorum* nomen toties apud illos etiam autores occurrit, qui ante Galenum scripserunt. Cels. 6. 7. *Ptolomæus chirurgus.* Scribon. Larg. c. 68. " Itaque quamvis " *ad Diæteticos* pertinentes compositiones exhibuerimus, ta- " men claudicat & vacillat hic liber, nisi eas quoque quæ " *ad Chirurgos* pertinent posuerimus, quarum initium ab Em- " plastris faciemus." Cap. 69. Emplastrum *Tryphonis Chirurgi.* " —Cap. 70. Emplastrum *Megetis Chirurgi.* ——Cap. 72. " Emplastrum *Trasææ Chirurgi.* ——Cap. 78. Emplastrum " *Trasææ Chirurgi.* —Cap. 79. Emplastrum *Aristi Chirurgi.* " — Cap. 82. Emplastrum *Dionysii Chirurgi.* ——Cap. 85. " Emplastrum *Euelpistis Chirurgi.* —Cap. 95. *Tryphon Chirur-* " *gus.*" Sextus Pyrrhon. 1. 14. §. 84. Σωτήειχος ὁ χειρουργὸς. Cæl. Aurel. 3. 8. *Socrates Chirurgus.* Plin. 29. 1. Alcon *Vulnerum Medicus.* Archagathus *Vulnerarius*, &c.

versetur

versetur suæ, ubi *medicum* illum *Vilneratum*, sive *Chirurgum*, ex Plinio induxit, (*i*) cujus quidem professio, ut est vel ex ejus appellatione manifesta, sic satis promptum exhibet argumentum ad Middletoni sententiam evertendam. Jam verò illa reputate, quæso, quæ de Asclepiade medico celebri memoriæ tradita sunt. (*k*) Hic enim cum Pompeii Magni tempore Romæ fuerit artis oratoriæ magister, ex medicina verò fructus magis uberes percipi vidisset, ad eam artem se contulit, eamque continuò magna ex parte mutavit. Etenim Democriti & Epicuri Philosophiam (*m*) tum temporis in Italia maximè floruisse constat; Asclepiades autem, ut erat sanè istius disciplinæ bene peritus, omnem medendi scientiam rationibus ex ista philosophia petitis illustravit. Quod tantâ cum eloquentiâ, tamque feliciter, præstitisse videtur, ut hominum animos mirè ad se alliceret, magnamque apud

(*i*) Pag. 21.
(*l*) Vid. Celf. Præf. lib. 1. Plin. 26. 3. 25. 2. &c.
(*m*) Cic. Tusc. Q. 4. 3. de finib. lib. 1, &c.

ſummos viros auctoritatem ſit conſecutus. Adeo ut non gravaretur ille Romanæ eloquentiæ princeps Cicero, hujus nomen in divinum opus de Oratore inſerere, eumque ut eloquentiſſimum omnium medicorum, ut amicum ſuum concelebrare (*n*): Qui quidem honos ſummus haberi poſſet, niſi major etiam ipſi contigiſſet. (*o*) Etenim à Mithridate maximo rege ſolicitatus eſt, ut ad illum ex urbe Româ veniret; quod quanquam honeſtè recuſavit, libroſque pro ſeipſo miſit, tamen ſummè honorificum eſt à magno Rege teſtimonium, eodemque haud malo medicorum æſtimatore. Et quo loco apud Romanos fuerit Aſclepiades ex hoc colligere poteſtis, cùm ad tantum Regem, tamque egregium medicinæ fautorem inde concedere tanti non habuerit. Hunc verò quamvis in arte medicâ tam multa mutaſſe conſtet, quæ à medicis veteribus memoriæ tradita ſunt; tamen *Chirurgicam* artis

(*n*) De Oratore, 1. 14.

(*o*) Plin. Nat. Hiſt. l. 25. c. 2. §. 3. Edit. Harduin.

medicæ partem attigiſſe minimè reperietis: Imò verò illam omnino non attigiſſe, librorum ejus inſcriptiones, quæ quidem hodie ſuperſunt, ſatis declarant; ſunt enim iſtæ: *De tuenda Sanitate*, *De morbis Acutis*, *De Febribus*, *De communibus Auxiliis*, *De Lue*, *De Hydrope*, *In Aphoriſmos Hippocratis*, *Adverſus Eraſiſtratum*, *De Compoſitione Medicamentorum*, *Definitiones Medicæ*, aliæque id genus *(p)*, quæ quidem ad *Chirurgiam* nullo modo pertinent. Fuit ergo Romæ Aſclepiades medicus *Clinicus*, Archagathus verò *Chirurgus*, etiam ante Imperatorum tempora. Sed etiam *Chirurgos* ad medici *Clinici* profeſſionem, ut ad altiorem gradum aſpirare ſolere, diſcimus ex noto illo Martialis epigrammate:

Chirurgus *fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus,*
*Cœpit, quo potuit,* Clinicus *eſſe modo.*

Scilicet ex ambiguo luſit in eum poeta; quoniam tam veſpillo, qui mortuos *in*

(p) Memorantur à Celſo, Plinio, Aureliano, Galeno, &c.

*lecto* efferre, quàm medicus, qui ægros in *lecto* decumbentes invisere solitus sit, uterque *Clinicus* appellari potest. Huc addite denique Galeni testimonium, qui de hac artium illarum partitione, non ut recens Antonini tempore factâ, sed ut de communi & usitata civitatis consuetudine loquitur. (q) " Tantum autem testificari " Eudemo possum magis fuisse servatos, " qui ab illo curabantur, quàm qui blan- " dis *emplastris* utebantur. Aggressus " verò fuissem aliquando ipse quoque ex- " periri ejusmodi curationis rationem, si " perpetuò in Asia mansissem; sed cum " *Romæ* plurimùm agerem, *civitatis mo-* " *rem* sum secutus, permissa iis quos *Chi-* " *rurgos* vocant maximâ ejusmodi ope- " rum parte." Quod cum alio Galeni loco collatum illustratur. (r) " Mirum " non est, ait ille, si ars ea, quæ maxima " sit, tot admittat sectiones; atque etiam " si in maximâ civitate pro harum una-

(q) Meth. medend. l. 7.

(r) De partibus artis Medicæ.

" quaque ſtatim aliquis reperiatur, qui " inde *medicus* dicatur: neque enim *in* " *exiguo quodam oppido* poſſet quis ſibi " victum parare, qui tantum ſuffuſiones " oculorum pungeret, vel hernias incide- " ret; *Romæ* verò & *Alexandriæ*, præ " mortalium in iis multitudine, poſſunt " quemcunque alere, qui aliquam etiam " ex his artibus (*s*) tantummodo profite- " tur." Patet igitur ex his omnibus Middletonum omnino errâſſe, cùm *Chirurgos* in urbe Româ à cæteris medicis minime diſtingui affirmaret, Medúmque virum eruditiſſimum earum artium partitionem Romæ fuiſſe factam recte ſenſiſſe. Neque minus id Middletoni erratum eſt, ubi ex Mercurialis autoritate " *Omnes medicos, uſque ad Galeni tempora, ſua medicamenta parâſſe* ait (*t*): quod quidem Mercurialem virum doctiſſimum ſcri-

(*s*) Quemadmodum etiam longo antè tempore ſcripſit Scribonius Largus ad Julium Caſſiſtum: " Omnibus per- " miſit liberum arbitrium magnitudo profeſſionis: multos " itaque animadvertimus, unius partis ſanandi ſcientiâ, " *Medici plenum nomen* conſecutos.

(*t*) Pag. 23.

pſiſſe

pſiſſe miror; Middletonum id arripuiſſe mihi non adeo mirum eſt, qui dummodo aliquid in medicos congerere poſſit, de veritate non uſque adeò ſolicitus eſſe videtur: Quippe hanc rem à Plinio ſatis apertè explicari videbitis. (*u*) " Atque " hæc omnia, ait ille, *medicamenta me-* " *dici*, quod pace eorum dixiſſe liceat, " *ignorant, pars major & nomina, in* " *tantum à medicaminibus conficiendis* " *abſunt*, quod eſſe proprium medicinæ " ſolebat. Nunc quoties incidere in li- " bellos, componere ex his volentes ali- " qua (hoc eſt, impendio miſerorum ex- " periri commentaria) credunt Seplaſiæ " omnia fraudibus corrumpenti."

Probavimus igitur paucis at luculentis teſtimoniis, diverſas medicinæ partes proprios habuiſſe Romæ profeſſores, contra quam Middletono viſum eſt. Itaque labefactato ipſius fundamento, corruit totum opus. Etenim cum iſtorum infimi com-

(*u*) Plin. Nat. Hiſt. 34. 11.

muni *Medicorum* nomine paſſim appellati ſint, non rectè quicquid humile de medicorum ſtatu & miniſteriis apud veteres invenitur, tanquam de univerſis artis medicæ profeſſoribus dictum accipiendum eſt, quod quidem certe à Middletono factum eſſe videmus. Quaſi quis quod de lignariis fabris dictum fuerit, in architectos transferret, quorum conditionem longe diverſam eſſe nemo eſt qui ignoret. " Quippe quam proportionem, ut ait Ga-
" lenus (x), architectus erga ædificatores
" lignarioſque fabros, & alios quibus im-
" perat artibus, eandem & medicus erga
" ſuos miniſtros gerit: Iſti verò ſunt un-
" guentarii, herbarii, coqui, cataplaſma-
" ta adhibentes, humore conſpergentes,
" clyſterem ſuffundentes, ſcarificantes,
" venam ſcindentes, cucurbitulas affigen-
" tes."

Non mirum igitur eſſe debet, cùm extiterint Romæ medici, quorum tam hu-

(x) Comment. in Epidem.

mile

mile miniſterium eſſet, iſtos tam parvo veniſſe pretio *. At contra legatis, quæſo, locum Plinii de quæſtibus medicorum, (y) " Multos, ait ille, prætereo medicos, " celeberrimoſque ex iis Caſſios, Calpe- " tanos, Arruntios, Albutios, Rubrios. " Ducena (z) quinquagena HS. annua " mercede iis fuêre apud Principes: Q. " verò Stertinius imputavit principibus, " quod HS. quingenis (a) annuis conten- " tus eſſet, ſexcena (b) enim ſibi quæſtu " urbis fuiſſe numeratis domibus oſten- " debat. Par & fratri ejus merces à " Claudio Cæſare infuſa eſt: cenſuſque " *quanquam exhauſti* (operibus Neapoli " exornatâ,) hæredi (c) HS. CCC reli- " quêre. Crinas nuper (d) centies HS. " reliquit, muris patriæ mœnibuſque aliis

* Diſſ. pag. 5. (y) Lib. 29. c. 1.

(z) Hoc eſt (ſecundum Harduinum) monetæ Gallicæ libræ 25000; vel, ſi ſingulas libras Gallicas ſolido Anglicano communiter æſtimemus, monetæ noſtræ 1250 lib. per annum.

(a) 2500 lib. per annum.

(b) 3000 lib. per annum.

(c) 150000 lib.

(d) 50000 lib.

" pænè

" *pæne non minori ſumma* extructis." Videtis quam ingentes medici Romani confecerint pecuniæ ſummas. Jam verò *Medicis Servis* commune pretium in lege Juſtiniani conſtitutum eſt ad *ſolidos ſexaginta*. An vobis credibile nunc eſt, horum *medicorum* idem fuiſſe officium? An verò quenquam ex Romanis creditis tam amentem fore, ut hominem, qui ſibi fructum tam ingentem quotannis reddere poſſet, tam parvo pretio venderet? Utique iſtos Middletoni veteres Romanos *opicos homines* (*e*) fuiſſe non neſcitis; ſed nullum, mihi crede, unquam hominum *ſeculum* uſque adeo fuit *inſipiens & inficetum*. Vos ergo Middletono, ſi libet, credite, hominem morborum curandorum peritum, (*f*) qui viginti millia ſolidorum quotannis conficeret,

(*e*) Plin. ibid.

(*f*) Ex his ſatis intelligimus duplicem fuiſſe medicorum apud Romanos degentium conditionem; omnino ut in Græcia, unde medicinam ſuam quidem accepêre Romani. De hoc loquitur *Athenienſis* ille apud Platonem in hunc modum: ' Nonne dicimus quoſdam *medicos* eſſe, & quoſ-
' dam medicorum *miniſtros, quos etiam medicos appellamus?*
' — Num igitur intelligis cùm *ſervi & liberi* in civitate
' ægrotent, *ſervos à ſervis* plerunque curari? Qui & in
' officinis

conficeret, ſexaginta ſolidis apud veteres Romanos vulgo veniſſe: Ego potius credam, vel phlebotomum, vel oricularium, vel herniarium, vel reunctorem, vel enematum adminiſtratorem; Medicum *Clinicum*, neque *Chirurgum* quidem bonum, nunquam credam.

Neque vos moveat quod ex Plinio profert vir doctiſſimus, (g) " Artem medicam " Romanâ gravitate *indignam* haberi:" Quippe id à ſolo Middletono apud Plinium legitur. Quæſo, locum ipſum inſpicite; videbitis enim ex Plinii ſententiâ paucos ex Romanis medicinam exercuiſſe, non quòd eam gravitate ſuâ *indignam* judicarent, ſed quia in iſtâ arte *Græci ſoli*, vel apud imperitiſſimos quoſque *auctoritatem*

---

' officinis medicis verſantur, & omnia circumeunt, nec ' rationem ullam de ſingulis *ſervorum* morbis aut reddunt, ' aut accipiunt, ſed quæ uſu prodeſſe videntur tyranno- ' rum inſtar ſuperbè & pertinaciter imperant, atque ita ' *à ſervo ad ſervum* medentes tranſvolant. —— *Liber* ' *autem medicus liberorum utplurimum morbos curat*, atque ' conſiderat, ita ut à principio naturam morbi perquirat, ' communiterque cum ægrotante atque ejus amicis verſetur. *&c. l. iv. de legib. ex verſione Ficini.*

(g) Pag. 8. & 21.

habuerint. (*b*) " Solam hanc, ait Pli-
" nius, artium Græcarum nondum exer-
" cet Romana gravitas in tanto fructu.
" Pauciſſimi Quiritium attigêre, & ipſi
" ſtatim ad Græcos (*i*) transfugæ: Imo
" verò AUCTORITAS aliter quàm Græcè
" eam tractantibus etiam apud imperitos
" experteſque linguæ non eſt; ac minus
" credunt quæ ad ſalutem ſuam perti-
" nent ſi intelligunt." Ergo de *indignitate* artis apud Plinium ne verbum quidem ullum eſt, ſed eam vocem INDIGNAM ad Plinii verba à bono Theologo adtextam eſſe videtis, quo vobis fucum faceret, eaque ſententiæ ſuæ magis congruentia redderet. Qualem verſutiam ejus in auctorum verbis ad ſuam ſententiam confingendis alibi licet animadvertere. Cùm enim à Suetonio (*l*) memoriæ proditum ſit, " Imperatorem Au-
" guſtum in annonæ caritate *peregrinos*
" *omnes, exceptis Medicis & Præcepto-*

(*b*) 29. 1. §. 8. Edit. Harduin.

(*i*) Quoniam Græcè homines Romani ſcripſerunt, ut Sextius Niger aliique. Harduin. Not. ibid.

(*l*) In Auguſt. c. 42.

*ribus,*

" *ribus*, & partem quoque ſervitiorum " urbe expuliſſe;" ſic ut *Medicos*, utpote qui *Græci* plerique fuerint, inter *peregrinos* recenſeat. Videte, quæſo, quàm audacter hæc mutaverit Middletonus. (*m*) " Auguſtus magnâ quadam annonæ cari- " tate *Servitiorum partem, exceptis Me-* " *dicis & Præceptoribus*, ex urbe expu- " liſſe *à Suetonio dicitur*." Hanc verborum inverſionem incuriæ ejus, an malitiæ ſitis aſſignaturi, neſcio: certè utracunque ſit, ſumma eſt, & vobis non facile ignoſcenda, niſi vobis gratum ſit, quod vir doctus tales ſtultos bardoſque vos omnes duxerit, quos falſitate tam apertâ circumveniri poſſe ſperaret.

Minimi momenti ſunt reliqua quæ ab eo prolata ſunt argumenta, etiamſi illorum vis maxima ab iis quæ ſupra dicta ſunt non eſſet jam ſatis retuſa. Scilicet Senecam in epiſtolis ejus artis profeſſores (*n*) *humillimis mortalium* annumerare ait,

(*m*) Pag. 10. (*n*) Pag. 7. & 27. Senec. Ep. 87.

At vobis ignotum esse non potest, nihil mediocre, nihil moderatum apud Senecam inveniri, omnia verbis nimis exaggerata & fere tumida Stoico more poni. Sic idem in epistolâ proximâ etiam *omnes artes liberales* nihilo levius calumniatur. "(o) An tu quicquam, inquit, in istis "artibus esse credis boni, quorum pro- "fessores *turpissimos omnium, & flagitio- "sissimos* cernis?" Videtis quam severè, quam universè; quæ tamen vos, opinor, non verè, sed accusatoriè dicta accipietis ex usitata Stoicorum licentia. Sexcenta apud eum extant ejusmodi dicta. Atqui idem contra, ne eum in medicinam semper iniquum esse censeatis, artem medicam (p) OMNIUM LIBERALISSIMAM appellat. Unde refutatur alia quoque Middletoni calumnia, qui negat * medicinam inter liberales artes apud Romanos haberi;

(o) Epist. 88.

(p) Epist. 95. artes pleræque,——imò *ex omnibus liberalissima*——sicut *medicina*. Sic A. Gell. Noct. Att. xviii. 10. 'Existimavi non medico soli, sed omnibus quoque hominibus LIBERIS, LIBERALITERQUE INSTITUTIS, &c.'

* Diss. p. 9.

quin-

quinetiam apud Juriſperitos eam à ſtudiis liberalibus diſtingui *ſemper* & ſejungi ait. Sed ego in Pandectis hanc legem reperio: " (*q*) Magiſtris qui civilium munerum " vacationem habent, item *Grammaticis*, " & *Oratoribus*, & *Medicis*, & *Philo-* " *ſophis*, ne hoſpitem reciperent, à prin- " cipibus fuiſſe immunitatem indultam, " D. Veſpaſianus & D. Hadrianus reſcri- " pſerunt." Quæ lex paulò poſtea his verbis concepta legitur; " (*r*) Recipiendi " hoſpitis neceſſitas, & militi, & *libera-* " *lium artium profeſſoribus*, inter cætera " remiſſa ſunt." Videat Middletonus quomodo hæc interpretetur. Quanquam ad convitium tam leve redarguendum ſatis eſſet vel Sanctionis Pragmaticæ auctoritas, in quâ idem expreſſe ſcriptum reperitur: (*s*) " Annonas quæ *Grammati-* " *cis* ac *Oratoribus*, vel etiam *Medicis* " & *Juriſperitis* antea dari ſolitum erat, " & in poſterum, ſuam ſcilicet profeſſio-

(*q*) l. 18. §. 30. ff. de mun. & hon.
(*r*) l. Ab his oner. §. 2. ff. de vac. & excuſ. mun.
(*s*) Conſt. Pragmat. Juſtinian. cap. 22.

" nem

" nem exercentibus, erogari præcipimus, " quatenus juvenes *liberalibus ſtudiis* " eruditi, per noſtram Rempublicam flo- " reant." Neque tamen vobis mirum eſſe debebit, ſi tenuem aliquam diſtinctionis ſpeciem poni, artemque medicam a reliquis artibus liberalibus quodammodo ſegregari videatis, velut in iſtis locis quæ profert (*t*) Middletonus. Ea enim apud veteres non tam in ſtudiis iſtis (*u*) liberalibus, quæ ab ingenuis univerſis ad utilitatem, vel ad ornamentum percipienda forent, quàm in (*x*) artibus neceſſariis habebatur, quemadmodum apud nos ho-

---

(*t*) Ad Diſſertat. p. 9. ex Pandectis & Codice: ' Salarium ob liberalem artem, *vel ob medicinam*, &c.'

(*u*) Iſta fuêre *Grammatica*, *Rhetorica*, *Geometria*, ut in Pandectis definitum eſt. *l.* 1. *ff. de var. & extraord. cogniț.* (Ubi addit Ulpianus, ' *Medicorum* quoque *eadem cauſa* eſt ' quæ *profeſſorum* (i. e. *liberalium artium*) niſi quod *juſtior*; ' cùm hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant.') His *Muſicen* adjungit Quintilianus, lib. 1. de Inſtit. Orat. ſcilicet ex Græcorum conſuetudine. *Vid.* C. Nep. in Epaminond. & Ariſtot. lib. 8. Polit. Hæc autem, quia omnibus communia ſunt, ἐγκύκλια Græci vocant.

(*x*) Hanc diſtinctionem in Jure Civili reperio, l. 8. Cod. de Metat. & Epidemet. ' *Archiatros* noſtri palatii, necnon ' urbis Romæ, & *magiſtros literarum*, pro *neceſſariis artibus*, vel *liberalibus diſciplinis*, necnon *picturæ profeſſores* ' (*ſi modo ingenui ſunt*) hoſpitali moleſtia, quoad vivent, ' liberari præcipimus.'

die :

die: Cùm enim pars ejus præcipua in uſu & exercitatione conſiſtat, ſtudium ejus, ut ſcitis, à nobilioribus vix aut ne vix quidem attingitur, & non tamen ideo nobis illiberalis & inhoneſta, nec *Anglica gravitate indigna* cenſetur.

Jam ſatis demonſtratum opinor, quàm futilia atque etiam falſa pro gravibus & certiſſimis argumentis habuerit Middletonus, quamque facilè refutentur ea, quæ in medicos ille tanto ſtudio atque artificio congeſſit. Etenim teſtimonia ejus præcipua vel *Clinicos*, quos deprimere tantopere ſtudet, medicos minimè attingentia, vel omnino per incuriam depravata, per malitiámve ficta, vel denique veterum teſtimoniis certiſſimis contraria deprehendiſtis. Ergo reliqua vobiſmetipſis advertenda relinquo, ſatis habens eà quæ præcipua viſa ſunt, veſtræ animadverſioni ſubjeciſſe. Nam permulta talia ſunt, quæ vos ipſi ne quidem digna refutatione cenſebitis. Velut ubi Romanorum morem

Græci

Græci tragici ſententia probat (*y*), eamque de ſervorum inſtitutione conſuetudinem, quam ipſe quidem apud Romanos auctores neutiquam repererit, vos verò revera non obtinuiſſe, ſed commentitiam eſſe cognoſcetis (*z*), hanc inquam, Euripidei verſiculi auctoritate vobis mirificè confirmavit.

Verùm hæc miſſa facio: Tandem enim Middletonum ipſum *aliquid concedere video, ne eum obſtinatum nimis & pervicacem* dicatis. At quale tandem illud eſt? Scilicet (*a*) cùm negare non poteſt aliquos ex Græcis, qui primi fuerunt Romæ medici, *liberos* fuiſſe, hos tamen *humilis certè & abjectæ conditionis* fuiſſe ait. Quæretis fortaſſe quonam id teſtimonio confirmet, vos enim ejus affirmationi minime fidem habituros, quippe qui vobiſcum dudum malâ fide egerit.

(*y*) Ad p. 9. ex Euripide.
(*z*) Vid. Ariſtotel. OEconomic. l. 1. cap. 5. Senec. de Benef. l. 3. c. 21, &c.
(*a*) Pag. 9.

At nullius omnino auctoris ſententiam, ne detortam quidem fictamve illi proferre viſum eſt; id verò ex propriâ ſcientiâ poſuit: ſcilicet de ea, *tanquam de re humili & abjecta nimis apud auctores mentio non occurrit* (*b*). Ergo id quantum vobis viſum eſt, credite.

Certè nonnullos viros eruditos ampliſſimâ fortunâ uſos, & in his fortè medicos, qui vix ullius artis profeſſoribus apud Græcos fuerunt inferiores, Romam *ad illud imperii*, ut ait Cicero, *gloriæque domicilium* migrâſſe, veriſimile videri poteſt: Alios verò ex Græcis & Aſianis, qui per belli fortunam captivi facti ſunt, & à Romanis in ſervitutem redacti; & in his nonnullos quoque ex medicorum profeſſione fuiſſe non incredibile eſt, qui propter doctrinam & ſcientiam poſtea manumiſſi, nonnunquam etiam ſummis honoribus aucti fuerint, quemadmodum aliis quoque viris eruditis illis temporibus

(*b*) Diſſ. Pag. 8.

contigiſſe memoriæ proditum eſt. Ergo quod hi tales *Libertini* fuerint, non tam artis medicæ apud Romanos *indignitati*, quàm ipſius honori tribuendam eſſe videtis; utpote quæ profeſſores ſuos de indignâ & iniquiſſimâ conditione ad honeſtiorem, & de ipſo ſervitutis & captivitatis ſtatu ad tantos honores evexerit. Sed pluribus non eſt opus; neque enim ipſe Diſſertationem ſcribo, ſolùm Middletonianam redarguo.

Quinetiam jamdudum ab ipſo Cicerone dijudicata eſt hæc controverſia, locuſque ſuus medicinæ tributus, neque primus is quidem, neque ſecundus, at medius certè, iſque ſatis honeſtus; qualem medicinæ profeſſores hodie quoque obtinere nec immerito cognoſcitis. Tantum rogo ut ſententiam ipſam, non ut apud Middletonum (*c*) diſcerpitur, ſed integram, ut apud Ciceronem eſt, legere dignemini (*d*) " Jam de

(*c*) Diſſ. p. 8.

(*d*) De Offic. 1. 42.

" Artifi-

" Artificiis & Quæſtibus, qui *liberales*
" habendi, qui *ſordidi* ſint, hæc ferè
" acccpimus. Primum improbantur ii
" quæſtus, qui in odia hominum incur-
" runt, ut portitorum, ut fœneratorum:
" Illiberales autem & ſordidi quæſtus
" mercenariorum omnium, quorum ope-
" ræ, non quorum artes emuntur; eſt
" enim illis ipſa merces auctoramentum
" ſervitutis. Sordidi etiam putandi, qui
" mercantur à mercatoribus quod ſtatim
" vendant; nihil enim proficiunt niſi ad-
" modum mentiantur, nec verò quidquam
" eſt turpius vanitate. Opificeſque omnes
" in ſordidâ arte verſantur; nec enim
" quidquam ingenuum poteſt habere offi-
" cina. Minimeque artes hæ probandæ,
" quæ miniſtræ ſunt voluptatum, *cetarii*,
" *lanii*, *coqui*, *fartores*, *piſcatores*, ut
" ait Terentius; adde huc, ſi placet, un-
" guentarios, totumque ludum talarium.
" Quibus autem artibus aut prudentia
" major ineſt, aut non mediocris utilitas
" quæritur, ut medicina, ut architectura,

" ut doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt
" iis, quorum ordini (e) conveniunt, ho-
" neſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt,
" ſordida putanda eſt; ſin magna & co-
" pioſa, multa undique apportans, mul-
" tiſque ſine vanitate impertiens, non eſt
" admodum vituperanda; atque etiam
" ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius,
" ut ſæpe ex alto in portum, ex ipſo
" portu ſe in agros poſſeſſioneſque con-
" tulerit, videtur jure optimo poſſe lau-
" dari. Omnium autem rerum ex quibus
" aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura

(e) Ordini, h. e. *Servis & Libertis*, ait Middletonus. At contra Paulus Manutius: 'Quoniam nomen ORDO *honeſtatem quandam* ſignificat, ideo *Plebeius ordo* nemo de veteribus dixit; at Senatorii ordinis, Equeſtris ordinis creberrima mentio.' Item Ald. Manut. in Cic. Off. 2. 24. *Ordine*, ne videretur de humilibus tantum loqui, addidit, *Ordine*, quia nobilius eſt ordo quam genus. Cum autem ſemel apud Ciceronem in orationibus nomen *ordo* de Libertinis per levem quandam attentationem ponitur, ſcribit in commentariis Aſconius Pedianus nonnullos ſuo, hoc eſt Auguſti ſeculo locum iſtum de Equitibus Romanis intellexiſſe; *Quia ORDINEM dixit*, ait ille, *Equitum Romanorum ordinem dici quidam putant.* Aſc. Ped. comm. in Verr. Eodemque auctore diſcimus Servorum & Libertinorum non *ordinem*, ſed *conditionem* dici ſolêre. *Honeſtus* autem *honoratus* eſt, ut ſcribit Cicero ad Trebatium: *Honeſtatem & facultates tuas augeas.* Idem alibi: *In hâc ſententiâ ſumus, ut te cupiamus in libera republica magnum & honeſtum eſſe*, &c.

" melius,

" melius, nihil uberius, nihil dulcius, " nihil homine, nihil libero dignius; de " qua, quoniam in Catone majore ſatis " multa diximus, illinc aſſumes quæ ad " hunc locum pertinebunt." Habetis hic apertam & plenam Ciceronis ſententiam, quam filii inſtituendi gratiâ poſuit vir omni honore cumulatiſſimus. Jam videte, quæſo, ubi illas ignominiæ notas reperiatis, quas arti medicæ inurere velit Middletonus: Scilicet illam omnino fuiſſe (f) " *ſervilem,* " *ignobilem, abjectam, ſordidam, nullo* " *loco aut honore habitam, nonniſi à mor-* " *talium infimis, humillimis, ſervis,* " *Græculis, fugitivis, atque extremæ* " *ſortis hominibus adminiſtratam, illi-* " *beralem, cive prorſus indignam.*" Utique huc tandem res redit. MARCUS TULLIUS CICERO AIT, MEDICINÆ PROFESSIONEM HONESTO CIVIUM ORDINI DECORAM ESSE; CONYERS MIDDLETON NEGAT, EAMQUE ESSE SORDIDAM, ILLI-

(f) Vid. Diſſ. p. 4, 7, 8, 9, 10, &c.

BERALEM,

SERALEM, CIVE PRORSUS INDIGNAM AFFIRMAT. UTRI CREDITIS, QUIRITES?

Sed dimittamus tandem Theologum undique doctiſſimum, qui tamen in monumentis veterum perſcrutandis idem feciſſe videtur, quod ipſe Sponio vitio dederit, "(g) quodque omnes ii ſolent, qui certis "quibuſdam deſtinatiſque ſententiis ſeſe "addixerint, ea videlicet quæ opinionibus "ſuis præjudicatis favere quoquomodo "credant, rapere undique, & in partes "ſuas torquere, alia verò omnia negli-"gere facile, aut celare."

Et hæc quidem hactenus. Reliqua (ne enim omnia ejus errata aut tam brevi tempore me perſpexiſſe, aut tam paucis expoſuiſſe credatis) perſequantur ii quibus otium eſt, quique fuerint diutius in antiquitatis cognitione verſati. Equidem prætermittere minimè volui, quin hæc pauca, quæ in promptu erant, ejus ſententiæ op-

(g) Diſſ. p. 14.

ponerem,

ponerem, ne juvenes antiquitatis parum intelligentes per illum decepti de arte medica minus honorifice ſentirent, eorumque induſtria in artis utiliſſimæ ſtudiis langueſceret: Quippe Ciceronis illud veriſſimum eſt, *Honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloriâ, jacentque ea ſemper quæ apud quoſque improbantur.* Velim autem exiſtimet vir eruditus, ea quæ à me contra ejus ſententiam liberè dicta ſunt, non eſſe eo animo dicta, quod aliquam in illum contumeliam jacere cuperem; ſed quia veritatem, quæ ab ipſo obſcurata quidem eſt, quantum potui patefeacre ſtuderem. Neque ſanè diffitebor me amore medicinæ artis præſtantiſſimæ incitatum, ad hanc controverſiam acceſſiſſe; quippe cùm illud Imperatoris Antonini præceptum mihi maxime probetur, quod omnibus, tum artis medicæ, tum aliarum artium profeſſoribus convenire, non negabit eruditiſſimus Middletonus: (*b*) QUAM DIDICISTI ARTEM, EAM

(*b*) Antonin. 4. 31.

DILIGITO,

DILIGITO, ET INTRA EAM TE CONTINETO; NULLI AUTEM HOMINI NEC SERVUM, NEC TYRANNUM TE EXHIBEAS.

MVSEVM BRITANNICVM

FINIS.